

stanti tandem illi denunciarunt sturum, ut alienus ab Imperatoris sui partibus censeretur, si virum hunc, qui se Regem agebat, liberum abire permitteret. His auditis, iussit afferri sellam iudicalem, sedensque pro tribunali coram populo, Jesum indicans, dixit: *Ecce Rex vester*. Tradi illum cruci clamavit populus; & Pilatus: *Regem vestrum crucifigam? Non habemus Regem*, reponunt Judæi, *nisi Casarem*. Tunc frustra se agere intelligens Præfex, & crescere in dies seditionem animadvertens, manus palam lavit, protestatus mundum se esse à sanguine viri innocentis; clamantibusque Judæis, in suum & posterorum caput crimen illud sese evocare, tandem adversariorum manibus crucifigendum virum tradidit, Barabba in libertatem restituto. Hæc omnia gesta sunt circa tertiam horam sive nonam matutinam (p).

p Matt. 27. 24.
26. Marc. 15.
15. Luc. 23.
24. 25. Joan.
19. 12. 16.

Jesus deluditur à militibus.

Arripientes ergo milites Pilati Jesum, extra Prætorium raptarunt, accitissimeque fociis militibus, propriis illum vestibus exuerunt; tum purpureo pallio velatum, spineâ coronâ redimitum, arundineum sceptrum tenentem in genua provoluti adorarunt; & ne quid deesset ad ludibrium, expuentes in ejus faciem, atque arundineo illo sceptro, quod in manibus gerebat, percutientes, salutabant: *Salve Rex Judæorum* (q).

q Matt. 27. 27.
29. Marc. 15.
16. 19.

Jesus ad Calvariam deducitur.

Secundùm hæc, propriis iterum vestibus induitur, atque oneri crucis suæ gravatus, deductus est ad Calvarium, ut ultimo supplicio perimeretur. Cum ad Urbis extrema ventum esset, & crucis ponderi opprimi jam vir, tot antea toleratis malis, viribus exhaustus cerneretur; Simon quidam fortè occurrens, à militibus Romanis coactus est, ut crucem portaret retro post Jesum (r).

r Matt. 27. 31.
32. Marc. 15.
20. 21. Luc.
23. 26.

Mulieres Jerosolymitana Jesum lugent.

Sequebatur Jesum ad Calvariam non ingens tantum populi multitudo, sed & sceminarum, vicem ejus dolentium, turba, quas converso vultu Jesus respiciens, *Filia Jerusalem*, ait, *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beata steriles, & ventres qui non genuerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Deducebatur autem Jesus ad supplicium inter duos latrones medius (s).*

s Luc. 23. 27.
32.

Jesus ad Calvariam deducitur, ubi in crucem agitur.

Ventum erat ad Calvariam, statimque vinum felle & myrrhâ conditum, mox perimendo viro miscetur; quod ille vix degustatum recusavit. Tunc cruci suffigitur medius inter duos latrones, quos in supplicio comites habuit. Ex eo supplicio pendens, primò pro crucifixoribus suis Patrem in hæc verba rogavit: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt* (t).

t Matt. 27. 33.
Marc. 15. 22.
Luc. 23. 33.
34.

Titulus crucis Jesu Christi.

In prominenti crucis loco hæc inscriptio, Græcis, Latinis & Hebraicis literis tradita, legebatur: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quam cum Judæi plures legissent, rogarunt Pilatum, ut pro Rege Judæorum juberet substitui: *Qui dixit: Rex sum Judæorum*. Sed Pilatus nihil reformari jussit (u). Acta hæc circa horam tertiam vel nonam matutinam (x).

u Matt. 27. 37.
Marc. 15. 26.
Luc. 23. 38.
x Mar. 15. 25.

Milites inter se vestes Jesu partuntur.

Milites, qui cruci Jesum suffixerant, vestimenta ipsius omnia æquè inter se diviserunt; tunicam inconsutilem, quæ unico contextu tota constaret, non dividendam, sed fortis arbitrio committendam voluerunt. Assidebant autem circa crucem, quod & excubias agerent, nec quemquam accedere ad miseros deponendos patenterent (y).

y Matt. 27. 33.
36. Marc. 15.
24. Luc. 33.
34.

Populi & Magistratus Jesu Christo è supplicio pendenti insultant.

Insultabant pendenti è cruce Christo, qui ed venerant populi & Magistratus, obijcientes: *Altos saluos fecit, se ipsum salvum faciat, si potest. Christus Filius Dei viri descendat nunc de cruce, & credimus ei*. Milites acetum offerebant, dicentes: *Si tu ex Rex Judæorum, salva te ipsum*. Alii moventes capita sua insultabant: *Vab qui destruis Templum Dei, & in tribus diebus reedificas: salvum fac te metipsum descendens de cruce*. Nec minora exprobrabant Principes Sacerdotum, distantes: *Descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus*. Illudebat pariter è latronibus non dissimili supplicio affectis alter, obtrudens: *Si tu es Christus, salvum fac te metipsum, & nos*. Tali loquentem illum increpuit alter è cruce ingrens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit*. Conversus dein ad Jesum, ait: *Domine, memento mei cum veneris in Regnum*

gnum tuum. Tunc Jesus ad illum: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso* (z).
z Matt. 27. 39.
44. Marc. 15.
29. 32. Luc.
23. 35. 43.

Jesus Matrem suam S. Joanni commendat.

Stabat juxta crucem Jesu Maria mater ipsius, Maria Cleopha, & Maria Magdalene; quam Matrem suam Jesus intuitus simulque non longè Discipulum sibi maxime dilectum respiciens, ita Matrem affatus est: *Mulier, ecce filius tuus, Joannem innuens: tum vicissim ad Joannem: Ecce Mater tua*. Ex quo factum est, ut dilectus Discipulus Mariam apud se & in domo sua deinceps haberet (a).

a Joan. 19. 25.
27.

Solis ecliphs, quo tempore Jesus Christus in cruce mansit.

Sexta circiter diei hora agebatur, nempe ad meridiem, cum sol atrâ obductus caligine lumen negavit usque ad horam nonam, nempe tribus horis post meridiem. Ad nonam, dissipatis tenebris, clamavit Jesus. *Eli Eli Lamma-sabachtani, i. e. Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quas ejus voces quidam de Elia interpretati, appellatum ab illo Prophetam autmarunt; & ex militibus unus statim accurrens, obtulit in spongiâ, hyssopo circumpositâ, acetum. Dicebant alii: *Sinite, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Tandem degustato Jesus aceto, exclamavit: *Consummatum est. In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; & inclinato capite tradidit spiritum (b).*

b Matt. 27. 48.
50. Marc. 15.
34. 37. Luc.
23. 46. Joan.
19. 28. 30.

Defuncto jam Christo, velum Templi scinditur.

Tunc discissum est à summo usque deorsum Templi velum, terra subito horrore tremuit, hincere lapides visi sunt, & sepulchra patuerunt. Quæ sedulo animadvertens Centurio, militesque qui defuncta reorum corpora custodiebant, inter pavorem & stuporem attoniti, Deo & veritati attestantes dicebant: *Verè hic homo justus erat. Verè Filius Dei erat iste*; & turba pariter è spectaculo redibant, pectus suam in doloris argumentum percutientes (c).

c Matt. 27. 51.
54. Marc. 15.
38. 39. Luc.
23. 47. 48.
d Matt. 28. 55.
Marc. 15. 40.
41. Luc. 23.
49.

Latus Jesu Christi transfoditur.

Interim Judæi, ne mane alterius diei, quo Sabbati & Paschæ duæ simul solemnitates coibant, reorum corpora è cruce pendencia triste exhiberent spectaculum, rogarunt Pilatum, ut & deponi juberet, & quò citius interiret, crucifragium preciperet. Venerunt ergo milites & utrius-

que latronis crura frægerunt; Jesum vero, quòd obiisset jam, reliquerunt illæsum; sed unus militum pendens è cruce latus lanceâ transfodit, apertumque vulnus aquâ manavit & sanguine; quemadmodum dilecti Discipuli, oculati testis, narratione memoriae proditum est (e).

e Joan. 19. 31.
37.

Joseph ab Arimathia postulat cadaver J. C. & tumulo infert.

Subeunte vespere, Joseph ab Arimathia, vir amplissimus è Patribus, omniposito metu Pilatum adivit, concedi sibi postulans corpus Jesu, ut ante occasum Solis tumulo inferret; ad occasum enim Solis Sabbati Festum inibat. Substitit aliquantò Pilatus, tam citò obiisse Jesum admirans; sed de morte ipsius certior etiam à Centurione factus, roganti facilis acquievit. Deposuit itaque Joseph è cruce cadaver, & sindone candidâ obvolutum, tum & aromatibus conditum (centum libras myrrhæ & aloes Nicodemus ad piæ illud officium paraverat) tumulo intulit, quem ipse sibi Joseph excidendum curaverat, in horto non longè ab eo locoposito, & nullius antea usibus addicto. Occluso dein ingenti lapide sepulchro, discessit (f).

f Matt. 27. 57.
60. Marc. 15.
42. 46. Luc.
23. 50. 54.
Joan. 19. 38.
40.
g Matt. 27. 61.
Marc. 15. 47.
Luc. 23. 55. 56.

Milites custodia sepulchri statuuntur.

Exposuerunt Pilato Principes Sacerdotum, & Pharisei, Jesum, dum viveret, in coetu Discipulorum jactitasse, se post triiduum sepulturam in vivos reditum; quare merito suspicari se, Discipulos illos defunctum cadaver suffuratos, famam interrim Resurrectionis ipsius non sine ingenti Judaicæ Religionis discrimine, spargentes in vulgus. Respondit Pilatus, præsto illis esse milites Templi custodes, quos pro arbitrio ad sepulchri custodiam destinarent. Statuerunt igitur præ ostio monumenti milites, lapidemque, quo occludebatur, annulo suo obsignarunt. Acta sunt hæc vespere ejusdem diei, antequam Sabbatum iniret (h).

h Matt. 27. 62.
66.

Die Sabbati, 4. Aprilis, 15. Nisan. Piæ Mulieres ementes sibi aromata, defuncti corpus curatura veniunt. Jesus Christus è mortuis resurgit.

Totam Paschalem diem piæ illæ Mulieres de Legis præscripto quietam egerunt; vespere, absolutâ jam Sabbati solemnitate, atque primâ hebdomadæ die ineun-

ineunte, emenda sibi aromata, quò mane alterius diei ad sepulchrum promptius accurrerent, sumpserunt. Ante auroram igitur viam ineuntes, mutuo alloquebantur: *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?* Erat enim lapis major, quàm ut muliebri robore amoveretur. Hæc secum repulantes continuò valida terra concussio teruit. Quo indicio & Domini è mortuis Resurrectio, & Angelus è Cælo ad removendum monumenti lapidem descendens designabatur. Porrò Angelus supra lapidem illum sedens, eo terrore milites custodes percussit, ut dilapsi protinus in fugam reverterentur (i).

i Matt. 28. 1. 4.
Marc. 16. 2. 4.
Luc. 24. 1. 4.
Joan. 20. 1. 2.

**Dominicâ die, 5. Aprilis, 16. Nisan.
Duo Angeli ante sepulchrum apparent.**

Venientes igitur mulieres ad sepulchrum, binos Angelos offenderunt, humanâ specie, candido amictu, vultu rutilanti, quorum aspectu attonitæ paventesque hæserunt. Animis despondentes alter ex Angelis confirmavit, annuncians, Christum, quem ille quaesituræ venissent, è mortuis jam ad vitam revocatum, sepulchrum deseruisse: venirent autem, & viderent locum, ubi defuncti corpus jacuerat. Mandavit deinde, ut irent statim ad Discipulos, & ad Petrum latissimum nuncium afferrent, certioresque pariter facerent, eorum in Galileam adventum Jesum Christum præcessurum, ubi illis videndum se præbuisset, quemadmodum fidem eâ de re suam antea obligaverat (k).

k Matt. 28. 5.
8. Marc. 16. 6.
8. Luc. 24. 5.
8.

Maria Magdalene nuncia Resurrectionis Jesu Christi ad Apostolos venit. SS. Petrus, & Joannes ad sepulchrum.

Maria Magdalene socias præcurrens, ad Apostolos Jerosolymam convolvavit, nuncians furto sublatum cadaver Jesu Christi, nusquam apparuisse. Tunc statim ad sepulchrum se contulit; venerunt pariter & Petrus, & Joannes, inter timorem, & stuporem hærentes. Præcurrit tamen citius dilectus Jesu Discipulus, & cum ad sepulchrum venisset, substitit. Venit & Petrus; inclinansque sese deorsum, quò interiora sepulchri scrutaretur, nihil reperit nisi lintheamina posita, & sudarium, quo defuncti caput jam obvolvabatur. Post Petrum ingressus est monumentum & alter Discipulus, qui præ foribus substitit, atque ambo totius rei oculati testes Jerosolymam redierunt (l).

l Joan. 20. 2. 8.

**Jesu Christus apparet primum
Maria Magdalene.**

Versabatur Maria præ ostio sepulchri, & cum interioribus monumenti scrutandis deorsum se se incinasset, duos spe-

stavit Angelos, alterum ad pedes, alterum ad caput sepulchri assidentes. Interrogantibus illis quid ploraret, conquesta est, sublatum, nec scire se quò, Preceptoris sui cadaver. Conversa simul retrorsum, vidit antese Jesum, qui hortulani specie assumptâ, mulierem, quid ploraret, quidve quæreret, interrogavit. Illa hortulanum rata, *Domine*, ait, *si tu sustulisti eum, dicito, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Tunc Jesus Mariam nomine appellans, agnoscendum se foemine præbuit; quæ statim accurrens, pedes ejus prona osculari tentabat. Prohibuit Jesus; non enim, ait, adhuc ad Patrem meum ascendi, quare alia erit tibi mei videndi opportunitas. Ire autem præcepit ad fratres suos & nunciare, ascendere se ad Deum Patremque suum, Deum pariter & Patrem ipsorum (m).

m Marc. 16. 9.
10. Joan. 20.
11. 17.

**Secundò apparet piis Foeminis ad
Sepulchrum venientibus.**

AD moestos Discipulos lætum afferens nuncium venit Maria, & visum à se Dominum & colloquium cum illo suum narrans. Interea Jesus spectandum se præbuit piis foeminis è sepulchro regredientibus, quibus obviam factus & timorem excutere jussit, & nunciare Discipulis, in Galileam se se illos & alloquio & præsentia suâ dignaturum. Accidentes illæ statim ad Magistrum pedes, pronæ adorarunt; tum Jerosolymam regressæ, omnia narrarunt Apostolis, qui tamen totam hanc fabellam tanquam delirantium mulierularum ludibrium perinde habuerunt (n).

Tum Petrus ad sepulchrum iterum se conferens, non secus ac prius posita lintheamina spectavit (o).

**Furto sublatum cadaver J. C. falso
rumore spargitur.**

Interea milites, quibus sepulchri custodia credita à Sacerdotibus fuerat, Jerosolymam venientes, quæ sibi contigissent, omnia exposuerunt. Sacerdotes ad consilium coeuntes, de re tota ita deliberarunt, ut ingenti pecuniarum vi corrupti milites sublatum à Discipulis nocturno furto cadaver, dum ipsi somno tenerentur, spargerent in vulgus. Polliciti sunt autem militibus illis, ejus rei periculum, si quod ipsis immineret à Præside, utpote qui munus suum fide non integrâ obiissent, totum in sese suscepturos. Falsus iste rumor, ait S. Matthæus 28. 15. hodie usque apud Judæos perseverat, persuasum habentes, corpus Jesu Christi à Discipulis sublatum evanuisse (p).

n Matt. 28. 9.
Mar. 16. 10.
11. Luc. 24. 9.
11. Joan. 20.
18.
o Luc. 24. 12.

p Matt. 28. 15.

Jesu

**Jesu Christus quartò apparet, duobus
Discipulis euntibus in
Emmaus spectandum se
præbens.**

EAdem die, 16. Nisan Paschali, solemnitæ celebri, nocte jam subeunte, bini ex Discipulis Jesu Jerosalem digressi in Galileam veniebant. Cum autem Emmaus, locum 60. stadiis ab Jerosalem, contenderent, via tædium mutuis colloquiis de rebus, quæ per eos dies acciderant Jerosolymis, levabant. Inter loquendum superveniens Jesus, peregrini speciem præferebens, tertius euntibus accessit, rogavitque quos invicem sermones miscerent? Cleophas ex illis alter mirari se dixit illum unum advenam Jerosolymis fuisse, qui nesciret quæcumque per eos dies contigerant. Ecquænam? respondit Jesus. De Jesu à Nazareth, ait alter, qui cum Propheta esset & opere & sermone, Deo coram & hominibus potens, à Principibus Sacerdotum, & Magistratibus supplicio traditus est. Nos autem, inquit, sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israel; & nunc tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Mulieres quidem ex nostris aliqua, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, non invento corpore venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum intuitas, qui dicunt eum vivere: quidam etiam ex nostris, qui sepulchrum inviserunt, mulierum narrationi attestati sunt.

**Tertiò apparet S. Petro, antequam
Discipulis euntibus in Em-
maus videndum se præberet.**

EXprobravit tunc Jesus fidei illorum imbecillitatem, productis è Scriptura testimonio demonstrans, oportere Christum pati, & ita gloriæ suæ compotem fieri. Ventum est tandem in Emmaus, & simulantem se progressurum Jesum, coegerunt Discipuli secum manere. Mansit igitur, & unâ discumbentibus benedictum à se panem distribuit. Quo accepto, illico apertis oculis Magistrum agnoverunt; isque agnitus illic evanuit. Actutum Discipuli Jerosolymam advolantes, totius rei certiores fecerunt Apostolos; à quibus in unum congregatis cœtum apparitionem vicissim Petro factam audierunt (q).

q Marc. 16. 12.
Luc. 23. 13. 34.

**Quintò apparet Apostolis simul
congregatis.**

CUM Apostoli omnes in eadem coacti domo, serâ munitis foribus, versarentur, eorum medius subito spectandum se offerens Jesus, pacem omnibus annunciat. Subito aspectu tamquam ad spectrum aliquod turbati omnes; sed confirmati à

Dissert. Calmet Tom. II.

Jesu intueri jussi sunt manus pedesque sibi jam notos, atque tactu explorare, carnem habere se pariter & ossa, corporis argumentum. His dictis, simul manus suas, pedes & latus ostendit; & cum non adhuc metum ab eorum cordibus excussum intelligeret, cibi aliquid, si quid haberent, postulavit. Oblatam piscis assi partem, & favum mellis palam degustavit, iterumque pacem annuncians, ita dein affatus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Tum insufflans in eos, dixit: *Accipite Spiritum S. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt (r).*

r Luc. 24. 36.
41. Joan. 20.
19. 23.

**S. Thomas è fide labitur. Sextò
apparet S. Thomæ cæterisque
Apostolis.**

E Cœtu Apostolorum unus tunc aberat S. Thomas, qui vidisse se Jesum affirmantibus Apostolis, fidem se nunquam eorum sermonibus habiturum dixit, nisi digitis ipse suis vulnera clavorum in manibus pedibusque, tum & latus ipsius exploraret. Post dies octo, Apostolis unâ cum S. Thoma, oclusis conaculi foribus, apparuit Jesus, qui post annunciatam omnibus pacem, ad Thomam conversus, *Infer*, ait, *digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Thomas stupenti similis, *Dominus meus & Deus meus*, exclamavit. Tunc Jesus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Multa equidem plura, quàm quæ referuntur in Evangelio, prodigia à Jesu patrata fuisse S. Joannes 20. 30. est author; hæc autem scripta sunt, ait, *ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus (s).*

s Joan. 20. 26.
31.

**Septimò apparet Discipulis ad mare
Tiberiadis. Mira piscatio.**

POST octavam Paschæ, cum Apostoli secessissent in Galileam, obvium habuerunt Jesum ad mare Tiberiadis. Petrus, Thomas, Nathanel, Jacobus, Joannes, & alii duo ex Discipulis in lacu Genesareth versabantur. Petrus piscatum se ire dixit, ituros se pariter & alii dixerunt. Quare consensu omnes navigio, totâ nocte jacentis recipiendisque retibus frustra laborarunt. Mane alterius diei Jesus in litore apparens, Discipulis incognitus clamavit, num aliquid piscatu apprehendissent. Respondentibus illis frustra se laborasse, iussit retia ad navigii dexteram jacere. Cum paruisset, tanta repente piscium præda capta est, ut reducere retia Discipuli vix possent. Tunc Dilectus Discipulus agnitum Jesum Petro indicavit; ille veste statim præcinctus pelago sese commisit, quò citius ad litus perveniret. Reliqui reducendo navigio, retibusque 153. immanibus piscibus refertis, nec tamen rescissis, manserunt. Cum igitur omnes ad litus perven-

G 2